

II.4.1.

Ioannes Galeaz Maria Sfortia^a Vicecomes dux Mediolani et cetera, Papię Anglerięque comes ac Genuę et Cremonę dominus concesserunt alias nunquam delende memorie illustrissimi quondam Blanca Maria et Galeaz Maria duces Mediolani et cetera, domini et avia et pater nostri honorandissimi litteras immunitatis et exemptionis indultas venerabili priori fratribus et conventui Sancte Marie de Gratiis ordinis Predicatorum de observantia extra inclytam urbem nostram Mediolani ut eorum donationum litteris continetur subsequenti forma, videlicet: «Blanca Maria ducissa Mediolani Cremonęque domina, Galeaz Maria Sfortia^b dux Mediolani et cetera, Vicecomites Papię Anglerięque comites ac Genuę domini, ob singularem affectum quo semper fratres regulares ordinis Predicatorum de observantia supplicationibus annuentes, harum serie ex certa scientia nostreque validitudo potestatis eosdem priorem et fratres pro sese ac bonis omnibus et rebus ad usum, victum et vestitum ac hedificia eorum necessariis a quibuscumque datiis, pedagiis, gabellis, imbotaturis, fundis navium ac ceteris oneribus ordinariis et extraordinariis, que quovismodo dici et excogitari et in futurum imponi possent, ubique locorum in toto domini nostri territorio immunes facimus ac liberos reddimus pariter et exemptos, declarantes etiam ad tollendum omne dubium quod in huiusmodi exemptione ac immunitate comprehendantur datia cathene et navigiorum novorum, mandantes Regulatoribus et Magistris intratarum nostrarum ordinarium et extraordinarium ut universis et singulis officialibus et subditis nostris ad quos spectat et spectabit quomodo libet in futurum, quatenus has nostras immunitatis et exemptionis litteras perpetuo et firmiter valituras observent et faciant inviolabiliter observari sub indignationis nostre pena. In quorum testimonium presentes fieri iussimus et registrari nostrique sigilli munimine roborari. Date Mediolani, die XVI aprilis MCCCCLX sexto. Antonius». Cum autem mentis nostre sit ut ipsi prior, fratres et conventus in ipsa immunitate et exemptione preserverent prout hactenus vigore prefatarum litterarum, ut informati sumus, preservati fuere tam ob devotionem quam continue gessimus et pariter gerimus prelibate sacratissime Marie Virgini quam dictorum prioris, fratrum et conventus sanctimoniam, tenore presentium predictas litteras exemptionis de verbo ad verbum prout iacent ad unguem ex certa scientia et de nostre potestatis plenitudine confirmamus et in quantum expediat denuo concedimus, mandantes Regulatori, Magistris intratarum nostrarum aliisque officialibus et subditis nostris quibuscumque ut has nostras confirmationis litteras observent et faciant a quibuscumque inviolabiliter observari prout hactenus temporibus retroactis observare fuerunt. In quorum testimonium presentes fieri iussimus et registrari nostrique sigilli impressione muniri. Date Viglevani, die ultimo decembris MCCCCLXXX octavo. Philippus.

(SI)

^a Ioannes Galeaz Maria Sfortia *in lettere maiuscole*. – ^b *Segue Vicecomes espunto*.